

/ Ill/mo et R/mo in Christo Patri Domino Roberto S.R.Ecclesiae
Cardinali Bellarmino amico nostro charissimo et honorando.

Sigismundus III Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuani-
ae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogae Livoniaeque etc. nec non Sue-
5 torum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex Ill/mo et R/mo in
Christo Patri D.Roberto S.R.E.Cardinali Bellarmino amico nostro ca-
rissimo et honorando salutem, et foelices rerum successus.

Ill/me et R/me in Christo Pater Domine amice noster charissime
et honorande. Fuerunt ante aliquot annos officia Sanctorum Regni
10 nostri Sueciae patronorum à Sacra rituum congregatione recognita,
atque approbata. In quibus cum adjunctae quaedam à Card/li Baronio
bonae memoriae notae, sive animadversiones obscuriores, atque ali-
quantulum ab antiqua illius Regni Ecclesiarum traditione discrepare
videantur: idcirco antequam haec eadem officia typis in publicum e-
15 dantur, mittimus in Urbem Venerabilem Matthiam Montanum Capellanium
nostrum sacerdotem egregia pietate, eruditioneque praeditum, ut is
iterum officia commemorata eidem Sacrae congregationi rituum ampli-
us judicanda et examinanda proponat, atque quantum fieri poterit
ea ad exemplum vetus approbari curet. Quo in negotio ut P/tas Vestra
20 pro usitato suo in nos studio, singularique erga sanctos Dei pietate,
ea qua merito pollet in Sacra hac congregatione autoritate, postu-
lationem hanc nostram promovere deque iisdem sanctis bene mereri ve-
lit, plurimum postulamus. Plurimum sane nos eo nomine P/ti V/rae de-
bebimus, sed et coelicolae ipsi referent cum foenore Pater/ti V/rae
25 gratiam, operamque pro eorum honore pie, et laudabiliter collocatam.
Plenius vero ea de re intelliget P.V/ra ex eodem Montano, cui, ut
nostro nomine fidem adhibere, ac nostris in negotiis favorem, auxilium
que suum P.V/ra ferre velit plurimum postulamus à P/te V/ra, cui be-
nevolentiam nostram prolixè deferimus. Optimam valetudinem, foelices-
30 que ipsi successus ex animo cupien. Varsoviae pridie Calend.Martii

Anno Domini MDCXVI. Regnorum nostrorum Poloniae XXIX.Suet.XX° M°